

infans Moyses dicitur *naar*, Exod. 2. v. 6. ut & infans Samson, Jud. 13. v. 5.  
Recte ergo ex Hieron. Quæstionibus in Genesin, inquit Flacius part. 2.  
Clav. p. 186. Secundum Hebraorum idioma, infans vocatur *omnis filius ad comparationem parentum*. Hæc ille. Sic I. Reg. 18. v. 12. Abdias dicit  
ad Eliam: Servus tuus timet Dominum מִנְעָרֵי minneyraif, ubi non  
excludit tempora infantiae suæ. Et significatio illustratur etiam ex ipsa  
radice נַעַר *naar*, id est, excusit. Notat igitur & infantem, ex utero  
matris excussum, seu editum in lucem.

17. Sic quamvis non simpliciter inficiemur, vocem, *neurim*, significare eam etiam ætatem, qua homo incipit ratione uti, quod ferè fit anno sexto, ut ait D. Lutherus in Genes. 8. p. 407. imò ipsam etiam *juventutem*: non tamen asserere recte scimus, quod Gen. 8. v. 21. vox, *neurim*, non significet *infantiam*: Siquidem, ut jam probabo, loquitur ibi Jehova de peccato etiam originali, quo polluitur homo non demum anno vel sexto vel sequentibus; sed in ipsa conceptione, Psal. 51. & in ipso matris utero, Psal. 58. v. 4. & Esa. 48. v. 8. Unde non solum *adulti*, sed etiam *infantes* sunt morti, quæ peccati pœna est, obnoxii, Rom. 5. v. 14. tum in utero matrum, tum extra eum, postquam geniti sunt, teste experientia. Rursus, Deus Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. de illo quoque loquitur peccato, quod est in homine *omni die*, i. e. *continue & omni tempore*. Non igitur *tempus infantiae* hic excludit. Neque hic est hyperbole, ut tamen etiam vult Bellarm. l. 2. de verbo Dei c. 12. quia nulla istius vestigia monstrat Spiritus S.

18. Objicias, Moysen per figmentum cogitationum cordis humani intelligere id, quod homo potest in suis cogitationibus, seu cum ratione & libero arbitrio, etiam in summo gradu, & quod summo studio excogitat, diligit, facit, sicut figulus, & putat pulcherrimum esse. Idque hinc etiam constare: quia מְחַשְׁבָּה significet cogitationem solerter, οὐφίας & λογισμὸν, à radice בְּשֻׁת cogitavit sapienter & ingeniosè. At tale figmentum non quadrare in infantiam. E. Resp. Licet cum Dn. Luthero in Genes. p. 337. & 400. concedamus, quod *jezer* hic significet industriam, sapientiam, rationem humanam, cum omnibus viribus, quibus etiam in optimis actionibus ratio utitur: non tamen vel ille, vel nos simpliciter imus inficias, in dictis Moysis modo allegatis, *infantiam* hominis etiam intelligi: neque hinc statim id concludi potest: *Quin potius cum Luthero p. 400. dicere nobis libet: Hic est insignis locus de peccato originali, quod qui extenuant, hi profectò, sicut cæci in sole, errant,*

¶